

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Elementa dialectica ex commentario logico Johannis
Conradi Dannhaueri**

Rapp, Johann Heinrich

Argentorati, 1668

De Secunda Mentis Operatione

urn:nbn:de:bsz:31-102382

SECUNDA MENTIS
DE
SECUNDA MENTIS OPE-
RATIONE.

Quid docet Secunda Menis operatio?

Secunda mentis Operatio docet compositionem & divisionem terminorum simplicium.

Quot membra hic sunt notanda?

Quatuor: 1. PRINCPIA. 2. ACCEPTIO.
3. DIVISIO. 4. DISCRETIO VERI A FALSO.

MEMBRUM PRIMUM.

DE
PROPOSITIONUM PRINCIPIIS.

Principia Propositionum quotuplia sunt?

Duplicia: *vel proxima*, ut Subjectum & Predicatum & Copula. *vel remota*, ut nomen Logicum & verbum Logicum.

Quid est Subjectum?

Subjectum est, quod subjicitur, & de quo aliquid prædicatur; seu quod habet rationem materiae; & in scala prædicamentali est terminus inferior.

Quid est Predicatum?

Predicatum est, quod prædicatur de aliis; seu quod habet rationem formæ; & in scala prædicamentali est terminus superior

Quid

Quid est Nomen Logicum?

Nomen Logicum est vox significans ex instituto, finita, ac sine tempore, cuius nulla pars (materialis) significat separatum id, quod tota vox significat, quæque adjuncto E S T aut NON E S T efficit orationem, quæ verum vel falsum significat. ut Animal.

Quid est Verbum Logicum?

Verbum Logicum est vox significans ex instituto, finita, cum tempore præsenti, & modo indicativo, cuius nulla pars (materialis) significat separatum id, quod tota vox significat, & semper eorum, quæ de aliquo dicuntur, est nota. ut Movetur.

*Quid sit ex coniunctione nominis Logici
& verbi Logici?*

Ex coniunctione nominis Logici, & verbi Logici, sit oratio Logica.

Quid est oratio Logica?

Oratio Logica est composita ex nomine & verbo logico utroque, significans verum vel falsum determinate. e.g. Pietas est utilis: Petrus est Apostolus.

// Per quid componitur Oratio Logica?

Per copulam, quæ est VEL Verbalis, VEL Conjunctionalis.

Copula

Quia

SECUNDA MENTIS

32

Copula Verbalis quotuplex est?

Duplex: PRIMO, vel est explicata, quando
Est expresse ponitur. e.g. Homo est loquens;
vel implicita, quando Est non expresse pa-
nitur. e.g. homo loquitur. DEINDE, vel est
secundi adjecti, quando potest explicari per
EXISTIT. e.g. homo est. h.e. homo existit. vel
tertij adjecti, si prædicatum nude cum subje-
cto copulatur. e.g. Aristoteles est Homo.

Copula Conjunctionalis quotuplex est.

Copula Conjunctionalis est Triplex: Vel
Hypothetica seu conditionalis, ut Si, Nisi.
Vel Disiunctiva, ut AUT, VEL, SIVE, SEU. Vel
Copulativa, ut Et, Atque.

Suppos-
tio

MEMBRUM SECUNDUM.

DE

SUPPOSITIONE: STATU: AM-
PLIATIONE.

Quid est Suppositio?

Suppositio est substitutio vocis pro suo si-
gnificato. Wann man an statt der Sach
selbst/die man nicht allzeit kan an der hand
haben/ sich des Worts allein gebraucht.

Quotuplex est Suppositio?

Id sequenti continetur Tabella:

Suppo-
tio

Materialis (πρωτότονη) cūm no men Iesu. ap copiat aperiendam sit,
vox sumitur pro sua *in nominatione illius. Anno.*

MATERIA: b. e. pro li-
teris & syllabis. e. g. Ar-
bor est tertiae declina-
tionis: b. e. hæc vox Ar-
bor, non vero illa Ar-
bor, quæ in horto plan-
tatur, est tertia declin-
ationis.

Propria, est acceptio
vocis in sua propria
significatione. e. g.
Homo est risibilis.

Estque VEL

Impropria seu *Tropica*
est acceptio vocis in
impropria seu tropica
significatione.
e.g. Prata rident. He-
rodes est vulpes.

Supposi-
tio

Formalis (πρωτότονη) cū
vox sumitur pro sua
FORMA: b. e. pro ipsa
significatione. e.g. Ar-
bor est viridis: b. e. illa
ipsa res, quæ Arbor vo-
catur, & in horto plan-
tatur; est viridis: Estq;

VEL

Simplex, quando vox ex-
plicatur copulative:
ex. gr. Elementa sunt
quatuor. b. e. Et ignis,
& aer, & aqua, & terra,
sunt quatuor. *Sic:*
Homo est Species. b. e.
Et hic, & iste, & ille
homo, & omnes ho-
mines simul sumpti;
sunt species. Germanicè
explicatur: Alle
miteinander.

Personalis, cum descen-
do vel ad personas
propriæ sic dictas; vel
ad supposita: Estque
VEL

Distributiva,
cum prædi-
catu distri-
butur: id
quod fit VEL

Complete, cum descendendo
ad singula (individua)
generum: h. e. cum præ-
dicatum, competit o-
mnibus subjecti indi-
viduis singulatim &
seorsim: e.g. Homo est
animal, b. e. & hic, &
iste, & ille homo, in
individuo sumptus, est
animal. Germanicè
explicatur: Ein jeder
insonderheit.

Incomplete, cum descen-
do ad genera singulo-
rum: h. e. cum prædi-
catum, competit tan-
tum certis generibus
vel speciebus. e.g. O-
mne animal fuit in
arca Noæ. Omnis na-
tio fuit Hierosoly-
mis, tempore effusio-
nis visibilis Spiritus
Sancti. Germanicè ex-
plicatur: Allerley.

Confusa, cūm Subjectum explicatur cō-
fusa, seu indeterminate, seu vagè, seu
disjunctive. e.g. Aliqua auris requiruntur
ad audiendum: scil. vel dextra, vel sinis-
tra. Opus est mihi pileo: scil. hoc vel isto.

Determinata, cūm prædicatum compe-
tit usi rei in individuo. e.g. Hic homo
est doctus. Filius Marie est Christus. Pe-
trus est Apostolus.

C

Suppo-

I. Si
In

II. S
Fo

III. S
Per

IV. S
cur
qua

V. A

OPERA TIO.

33

Récita Canones quosdam ad utilissimam hanc
Doctrinam de Suppositione pertinentes?

- I. Si Suppositio Propria confunditur cum
Impropria, oriuntur quatuor Termini. e.g.
Vulpes (proprie) est quadrupes.
Herodes est *Vulpes (Improprie)* E.
Herodes est quadrupes.
- II. Si Suppositio Materialis confunditur cum
Formali, oriuntur quatuor Termini. e.g.
Homo (materialiter) est tertiae declina-
tionis.
Susanna est *Homo (formaliter)* E.
Susanna est tertiae declinationis.
- III. Si Suppositio Simplex confunditur cum
Personalis, oriuntur quatuor Termini. e.g.
Planeta (simpliciter) sunt septem.
Sol est *Planeta (personaliter)* E.
Sol est septem.
- IV. Si distributio Incompleta confunditur
cum Completa aut Determinata, oriuntur
quatuor Termini. e.g.
Omne *Animal (incomplete)* fuit in ar-
ca Noë.
Hic tuus Canis est *animal (determina-
te.)* E.
Hic tuus Canis fuit in Arcâ Noë.
- V. A Suppositione Confusa ad Determina-
tam

C 2

33

tam N.V.C. e.g. Opus est mihi libro. Ergo
So muß es eben ein neu Buch seyn?

V I. In Distributiva negativa, Subjectum & Prædicatum distributive accipiuntur. e.g.
Nullus equus est homo. h.e. neque hic e-
quis est hic homo ; neque iste equus ei-
ste homo ; neque ille equus est ille homo.

V II. In Distributiva affirmativa, Subjectum
distributive, Prædicatum vero confuse
ponitur. e.g. Omnis homo est animal, h.e.
& hic, & iste, & ille homo, est vel hoc, vel
istud, vel illud animal. Non vero & hoc,
& istud, & illud animal.

VIII. In Indefinita, quæ est in materia néces-
saria, si est affirmativa, Subjectum distri-
butive, Prædicatum confuse sumitur. e.g.
Homo est animal. h.e. Et hic, & iste, & ille
Homo, est vel hoc, vel istud, vel illud ani-
mal : Si est negativa, Subjectum & Prædi-
catum distributive accipitur. In materia
autem contingentia, Subjectum & Prædi-
catum confuse explicatur. e.g. Homo est
prædictus divitiis. h.e. vel hic, vel iste, vel
ille homo, est prædictus vel his, vel istis, vel
illis divitiis.

IX. In Determinata, Subjectum semper po-
nitur determinate ; Prædicatum vero acci-
pitur

pi
lu
iste
e.g.
(L
X. T
à p
pra
cta
Sta
eo ter
quitur
Am
plicatu
ta Am
Subjec
cœci,
debunt
di, jam
dient.

DIVI

OPERATIO.

37

pitur vel confusè: e.g. Petrus est Aposto-
lus. h.e. Hic homo (*Petrus*) est vel hic, vel
iste, vel ille Apostoli: vel determinate:
e.g. Leopoldus est Imperator. h.e. Hic homo
(*Leopoldus*) est hic Imperator.

- X. Talia sunt subjecta, qualia permittuntur
à prædicatis: h.e. In quo sensu accipiuntur
prædicata, in eo etiam accipiuntur subje-
cta.

Quid est Status vocis?

Status vocis est, quando vox explicatur in
eo tempore, in quo ponitur. e.g. Homo lo-
quitur. h.e. Homo jam existens loquitur. *Vice Verbi*

Quid est Ampliatio vocis?

Ampliatio vocis est, quando vox non ex-
plicatur in eo tempore, in quo ponitur. No-
ta Ampliationis est, si Prædicatum contradicit
Subjecto. e.g. cœci vident. h.e. qui fuerunt
cœci, jam vident; vel qui jam sunt cœci, vi-
debunt. Surdi audiunt. h.e. qui fuerunt sur-
di, jam audiunt; vel qui jam sunt surdi, au-
dient.

MEMBRUM TERTIUM.

DE

DIVISIONE PROPOSITIONUM

C 3

Quod-

Propositionis vel
 Simplex Pura, absoluta quæ modo Modalis neceſſe
 caret. Primitia contingit
 (Modalis quæ ha- possibile
 bet modum. imposibile
 Composita Conditionalis
 Disjunctiva
 Copulativa.

18 SECUNDA MENTIS
 Quodnam est Terrium Membrum in secunda
 Mentis Operatione?
 „Est Divisio Propositionis secundum Sub-
 stantiam, Quantitatem, & Qualitatem.
 QVAE?

Quotuplex est Propositio ratione Substantie?
 vel veritatis Duplex: vel simplex, quæ habet copulam
vel conjunctionalem. e.g. homo est doctus: vel compo-
 sita, quæ habet copulam conjunctionalem.
 e.g. Si homo est diligens, evadit doctus.

Simplex Propositio quotuplex?

Duplex: vel pura seu absoluta, quæ modo
 caret. e.g. homo est doctus: vel modalis, quæ
 habet modum.

Modalis Propositio quotuplex?

Duplex: vel primaria, quæ habet modum
 primarium, Necesse, Contingit, Possibile, Im-
 possibile: vel secundaria, quæ habet modum
 secundarium.

Modalis Propositio primaria quotuplex?

Duplex: vel Composita, quando modus
 vel præponitur, vel postponitur. e.g. Necesse
 est Hominem esse Animal. Petrum fieri do-
 ctorem possibile est. Impossibile est Lapidem
 esse Animal. Contingit cras pluere. vel Divi-
sa, quando modus interponitur. e.g. Homo,
 necessario est animal. Petrus, possibiliter fit
 doctor. Lapis, impossibiliter est animal. Cras,
 contingenter pluere.

Moda-

OPERATIO.

39

Modalis secundaria quotuplex?

Quadruplex: Exclusiva, Exceptiva, Limitativa, Comparativa.

Quid est Propositio Exclusiva?

Quæ habet Signum exclusivum Solus. Tantum. Unicus. Estque *vel* exclusiva subjecti, quando omnia alia subjecta excluduntur à communicatione prædicati. e.g. Solus DEUS est adorandus. h.e. DEUS est adorandus; aliud autem eas, præter DEUM, non est adorandum: *vel* exclusiva prædicati, quando omnia alia prædicta in hoc genere excluduntur à communicatione subjecti. e. g. Sacraenta Novi Testamenti sunt tantum duo. h.e. nullus est alias numerus, qui Sacramentis N.T. competit, quam binarius.

Quid est Propositio Exceptiva?

Præpositio Exceptiva est, quæ habet signum exceptivum Excipe. Extra. Nisi. e.g. Omne animal, excepto homine, est irrationale: h.e. Omne animal, quod non est homo, est irrationale.

Quid est Propositio Limitativa?

Quæ habet signum Limitativum Quatenus. Qua. in Quantum. Estque Limitatio ^{for. libri. cap.} vel Reduplicativa, quæ notat causam rei, & explicatur per ^{ab initio} Quia, e.g. Ignis urit ^{signum. u. sofer.} C 4 tenus ^{lineus} ^{et in hoc} ^{sensu dicitur}

40 SECUNDA MENTIS

tenus est calidus. *h.e.* ignis urit ideo quia est calidus : vel Specificatiya , quæ notat certam speciem aut partem, & explicatur per pronomen *Qui*, *Quæ*, *Quod*. e.g. Homo, quatenus capillos habet, est crispus. *h.e.* Homo, qui capillos habet, est crispus.

Quid est propositio Comparativa?

Quæ habet Signum Comparativum *Maior*, *Minus*. Quo etiam pertinent omnes Comparativi.

Comparatio Logica quotuplex?

Duplex: Vel propria, quando tertium comparationis utriusque competit. e.g. Sol est major terra. *h.e.* Magnitudo competit & Soli, & Terræ, licet inæqualiter. Vel impropria, quando tertium Comparationis vel neutri competit. e.g. Ebrietas est melior scortatione. *h.e.* Ebrietas est minus mala quam scortatio: vel tantum alterutri. e.g. Melius est nubere quam uri. *h.e.* Nubere bonum est; sed uri malum est.

Quid est propositio Composita?

Propositio Composita est, cuius copula est conjunctio.

Quot partes habet propositio Composita?

Duas: Una vocatur Antecedens seu Prior; Altera Consequens seu Posterior. e.g. Si homo est animal, est Sensitivus. Antecedens est,

Homo

Homo est animal: Consequens est, Homo est
Sensitivus.

Quotuplex est Propositio Composita?

Triplex: Hypotheticus seu Conditionalis.
Disjunctiva: Copulativa.

Quid est Propositio Conditionalis?

Cujus copula est conjunctio Conditionalis Si. Nisi. e.g. Si discipulus est diligens, evadit doctus. Nisi discipulus fuerit diligens, non evadet doctus.

Quid est Propositio Disjunctiva?

Cujus copula est conjunctio Disjunctiva
AUT. VEL. SIVE. SEU. e.g. Homo aut rationalis est, aut irrationalis.

Quid est Propositio Copulativa?

Cujus copula est Conjunctio Copulativa
ET. ATQUE Christus & DEUS est, & Homo.

QUANTIA?

Quotupliciter consideratur propositio ratione
Quantitatis?

Dupliciter: vel ratione Signorum Quantitatis, vel ratione Terminorum.

Ratione Signorum Quantitatis quotuplex est
Propositio?

Duplex: vel Definita, vel Indefinita.

Quid est Propositio Definita?

Propositio Definita est, que habet signum
quantitatis.

C S Quo-

SECUNDA MENTIS

Quotuplex est Propositio Definita?

Duplex : *vel Universalis*, quæ habet Si-
gnum universale OMNIS, Nullus : *vel Par-*
ticularis, qua habet Signum particulare Qui-
DAM QUIDAM NON.

Quid est Propositio Indefinita?

Propositio Indefinita est, qua caret signo
 quantitatis,

Propositio Indefinita quotuplex?

Duplex : *vel distributiva*, quando prædica-
 tum omni individuo subjecti potest attribui.
 e.g. Homo est rationalis. h.e. & hic, & iste, &
 ille homo est rationalis : *vel Indistributiva*.

Propositio Indistributiva quotuplex?

Triplex : *Primo Singularis*, quando subje-
 ctum est Terminus singularis. e.g. Petrus est
 Apostolus. *Deinde Particularis*, quando sub-
 jectum supponitur confuse. ex. gr. Homo
 currit. *h.e. vel hic, vel iste, vel ille homo cur-*
rit. Tertio Neutra, quando subjectum suppo-
 nitur simpliciter seu copulate. e.g. Homo est
 Species : Elementa sunt quatuor. Et hæc in
 Argumentatione nullum habet usum.

*Ratione Terminorum quotuplex est Pro-
 positio?*

Duplex : *vel finita*, quæ habet terminos fi-
 nitos. e.g. Homo est animal : *vel infinita*, quæ
 habet terminos infinitos.

Infi-

Infinita quotuplex?

Triplex: est enim *vel* infinita ratione subjecti, ut Non-Equus est Homo: *vel* ratione prædicati, ut Equus est Non-Homo: *vel* ratione utriusque, ut Non-Equus est non-Homo.

QUALIS?

*Ratione Qualitatis quotuplex est Pro-
positio?*

Duplex: *vel* affirmans, *vel* negans,

Quid est Propositio Affirmativa?

Propositio Affirmativa est, quæ componit Prædicatum cum Subjecto. e.g. Homo est animal.

Quid est Propositio Negans?

Propositio Negativa est, quæ dividit Præ-
dicatum à Subjecto.

Quotuplex est Propositio Negans?

Duplex: *vel* actualis, quando negatio ex-
presso ponitur. e.g. Nullus Homo est irrationalis. Arbor non est Homo: *vel* virtualis,
quando negatio in verbo latet. e.g. *Impossibili-
te* est hominem esse lapidem. Solus D E U S
est adorandus.

*Quid judicandum de istis propositionibus, quæ Negatio-
nem NON additam habent signo Universali
affirmanti?*

Si nexus prædicati cum subjecto negatur
(h.e.)

(h.e. si prædicatum nulli individuo subjecti competit) tales propositiones sunt universales negantes. e.g. Non OMNIS homo est bestia.
 h.e. NULLUS homo est bestia: Non TOTA America fuit olim nota, h.e. NULLA America fuit olim nota. Non OMNIS caro justificatur ex lege.
 h.e. NULLA caro justificatur ex lege. Si verò tantum universalitas Subjecti negatur, tales propositiones fiunt biparticulares. h.e. debent explicari per duas propositiones particulares. e.g. Non OMNIS homo est dives. h.e. quidam homo est dives, quidam homo non est dives. Non totus orbis paruit Alexandro.
 h.e. quædam pars orbis paruit Alexandro, quædam pars verò non paruit.

MEMBRUM QUARTUM.

DE

DISCRETIONE VERI à FALSO.

Quodnam est Quartum Membrum in secunda Mentis operatione considerandum?

Est Discretio veri à falso: quo pertinent duo: I. Oppositio propositionum, II. Consequentia.

DE OPPOSITIONE.

Quid est Oppositio propositionum?

Oppositio propositionum est Affirmatio & Negatio, secundum idem, ad idem, eodem respectu, eodem tempore & loco. *Quotus*
dia non est satis cont. disserit Oray.
Omnis sunt vocati.
Multi sunt vocati.

OPERATIO.

45

Quotuplex est Opposito Propositionum?

Opposito Propositionum est quadruplex:
Contradicторia : Contraria : Subcontraria :
Subalterna : quarum definitiones sequens figura exhibit:

OMNIS.	Contraria.	NULLUS.
[A] Subalterna [1]	Contra- Contradicторia. dictoria.	[E] Subalterna.
QUIDAM.	Subcontraria.	QUIDAM NON.

Quid est Opposito Contradicторia?

Opposito Contradicторia est, in qua VEL
 π A. opponitur π O. id est: Universalis affirmans particulari neganti. e.g.

Omnis homo est rationalis:

Quidam homo non est rationalis: & contra.

VEL in qua π E. opponitur π I. id est: Universalis negans particulari affirmanti. e.g.

Nullus homo est rationalis:

Quidam homo est rationalis: & contra.

Quid est Opposito Contraria?

Opposito Contraria est, in qua π A. opponitur π E. id est: Universalis affirmans universalis neganti. e.g.

Omnis homo est rationalis:

Nullus homo est rationalis: & contrā.

Quid est Opposito Subcontraria?

Oppositio Subcontraria est, in qua π^o I:
opponitur π^o O. id est: Particularis affirmans
particulari neganti. e.g.

Quidam homo est rationalis:

Quidam homo non est rationalis.

Quid est Opposito Subalterna?

Oppositio Subalterna est, in qua VEL π^o A:
opponitur π^o I. id est: Universalis affirmans
particulari affirmanti. e.g.

Omnis homo est rationalis:

Quidam homo est rationalis: & contra.
VEL in qua π^o E. opponitur π^o O. id est: Uni-
versalis negans particulari neganti. e.g.

Nullus homo est rationalis:

Quidam homo non est rationalis. &
contra.

Quomodo Contradicendum est in propositione

Modali & Composita?

VEL Modus negandus est. e.g.

Necesse est hominem esse rationalem

*Non necesse est hominem esse rationa-
lem. Sic*

Solus DEUS est adorandus:

Non solus DEUS est adorandus.

VEL

OPERATIO.

47

VEL Signum Conjunctionale negandum est.

e.g. Si homo est animal, est sensitivus:

Nonsi homo est animal, est sensitivus.

Christus & DEUS est, & Homo :

Christus non & DEUS est, & Homo.

In exceptiva propositione habet se contradictione, ut in simplici. e.g.

Nulla virgo, præter Mariam, est mater:

Quædā virgo, præter Mariam, est mater.

Omne animal, præter hominem, est irrationale:

Quoddam animal, præter hominem,
non est irrationale.

DE CONSEQUENTIA:

Quid est Consequentia?

Consequentia est Oratio, in qua aliquid ex aliquo, per notam illativam ERGO colligitur. *Quotuplex est Consequentia?*

Duplex: *Vel Bona*, in qua contradictorium consequentis non potest stare cum antecedente. e.g.

Homo est Animal. E.

Homo est sensitivus: Nam non esse sensitivum, & tamen esse animal, repugnat.

Vel Vitiosa, in qua contradictorium consequentis potest stare cum antecedente. e.g.

Hic Homo est pulcher. E.

D

Hic

VEL

Hic Homo est Adulter: Nam potest quis esse non adulter, & tamen esse pulcher.

Habesne aliam Consequentiae Divisionem?

Habeo. Nam Consequentia *alia est Formalis*, quando Syllogismus in forma bonus est, & dicitur habere necessitatem Consequentiae. e.g.

Omnis Asinus volat

Omnis Arbor est Asinus E.

Omnis Arbor volat.

Alia vero Materialis, cum Syllogismus in materia verus est, & dicitur habere necessitatem Consequentis. e.g.

Ananias mentitus est DEO

Ananias mentitus est SPIRITU S. E.

SPIRITUS S. est DEUS.

Da tertiam Consequentiae Divisionem?

Tertio: Consequentia *Vel est Argumentativa*, in qua plures sunt termini quam duo. e.g. Syllogismus. Enthymema. Inductio. Exemplum. *Vel non Argumentativa*, in qua duo tantum sunt termini.

Quot sunt Species Consequentiae non Argumentativa?

Quinque: 1. Äquipollentia. 2. Consecutio inter propositiones finitas & infinitas. 3. Consequentia conversionis terminorum. 4.

COR

Consequentia ab EST tertii adjecti, ad EST secundi adjecti. 5. Consequentia à conjunctis ad divisa.

Quid est Äquipollentia?

Äquipollentia (formalis) est duarum enuntiationum oppositarum ad eundem sensum revocatio, per negationem NON, comprehenditurque isto versiculo:

PRAE contradic: *POST* contra: *PRAE-PÓSQUE* subalter:

Declarat id Exemplis?

I. In Oppositione contradictoria adverbium negandi NON debet Præponi signo quantitatis. e.g.

OMNIS homo est rationalis. E:

NON QUIDAM homo *NON* est rationalis. & *contra:*

ET

QUIDAM homo *NON* est rationalis. E:

NON OMNIS homo est rationalis. & *contra:* SIC

NILLUS homo est rationalis. E.

NON QUIDAM homo est rationalis. & *contra:* ET

QUIDAM homo est rationalis. E.

NON NILLUS homo est rationalis. & *contra:*

II. In Oppositione contraria adverbium negandi NON debet Postponi signo quantitatis. e.g. D 2 *OMNIS*

potest
ulcher.

Forma-
nus est,
seque-
n-

ismus in
ecclita-

S. E.

umenta-
am duo.
ctio. Ex-
qua duo

Conse-
nitas. 3.
ruim. 4.
Con-

SECUNDA MENTIS

OMNIS homo est rationalis. E.

NULLUS NON homo est rationalis. &
contra. SIC

NULLUS homo est rationalis. E.

OMNIS NON homo est rationalis. &
contra:

III. In Oppositione subalterna adverbium
negandi Non debet & PRÆponi & Post-
poni signo quantitatis. e.g.

OMNIS homo est rationalis. E.

NON QUIDAM NON homo est ra-
tionalis. ET

QUIDAM homo est rationalis. E.

NON OMNIS NON homo est rationa-
lis. & contra.

SIC

NULLUS homo est rationalis. E.

NON QUIDAM NON homo NON est
rationalis. & contra.

ET

QUIDAM homo NON est rationalis. E.

NON NULLUS NON homo est ratio-
nalis. & contra.

Hinc versus.

Non omnis, quidam non : Omnis non, quasi
nullus :

Non nullus, quidam : Sed nullus non, valet
omnis : Non

OPERATIO.

51

Non aliquis, nullus: non quidam non, *valet*
omnis:

Non alter, neuter; Neuter non, *prefat* uterq;
Quinam Canones de consequione inter propositiones
finitas & infinitas sunt notandi?

Tres: *Primus*: A propositione affirmante infinita de prædicato V. C. ad negantem finitam. e.g. Homo est non doctus. E. Homo non est doctus: *Et contra*, A propositione negante finita V. C. ad affirmantem infinitam de prædicato. e.g. Homo non est doctus. E. Homo est non doctus.

Secundus: A propositione affirmante finita V. C. ad negantem infinitam de prædicato. e.g. Homo est doctus. E. Homo non est non doctus: *Et contra*, A propositione negante infinita de prædicato V. C. ad affirmantem finitam. e.g. Homo non est non doctus. E. Homo est doctus.

Tertius: A propositione privativa V. C. ad infinitam de prædicato. e.g. Hic homo est cœcus. E. hic homo est non videns: *Sed non contra*: Hic lapis est non videns. E. hic lapis est cœcus.

*Quid est consequentia Conversionis
Terminorum?*

Consequentia Conversionis Terminorum

D 3

est

halis. &
E.
alis. &

erbitum
k Post-

o est ra-

E.
rationa-

E.
NON est

onalis. E.
est ratio-

on, quasi

on, valet
Non

est mutatio Subjecti in locum Prædicati: & contra. Estque triplex. 1. Simplex. 2. per Accidens, 3. per Contra-seu Transpositionem: & continetur hoc versu:

EccE tibi simp: 1 ArmigErOs acc: 1 ArmA bOnO contr.

Ubi notandum, quod in conversione per Transpositionem ex terminis finitis faciendi sunt termini infiniti.

Exempla pete è Logicatua p.107. & 108.

*Quando valet Consequentia ab EST tertii adiectis,
ad EST secundi adiecti?*

Quando non EST ponitur *καρπίνως*, & idem significat quod EXISTIT. e.g. Discipulus est discens. E. Discipulus est, h.e. Existit: Quod si vero non EST ponitur *καρπίνως*, h.e. Si non EST nude Prædicatum copulat cum Subjecto, tunc N.V.C. e.g. Aristoteles est homo. Non sequitur: Ergo Aristoteles est sive existit.

*Da Exemplum Consequentie à conjunctis ad divisas
& contra?*

Augustinus est homo doctus. E. Augustinus est homo & doctus. Et contra: Augustinus est homo & doctus. E. Augustinus est homo doctus.

TER